

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul., Belg. disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO XVII
 DE BONIS OPERIBVS
 PRO EXAMINE
 CONCILII TRIDENTINI
 DN. D. MARTINI CHEMNITII, QVA
 tuor capitibus comprehensa.

- I. An & cur sint facienda bona opera.
- II. Quae sint verè bona opera.
- III. An bona opera renatorum in hac vita sint per-
- III. De præmiis & meritis bonorum operũ. (secta.

Quam Auxiliante Spiritu Sancto
 Sub præsidio

SALOMONIS GESNERI
 S.S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PRO-
 fessoris in Academia VVitebergenſi.

In Collegio exercitationum Theologicarum priva-
 to discutiendam proponit die 30. Iunij
 Anno 1602.

M. JOHANNES KEMPIUS
 Coburgensis Fr.

VVITEBERGAE

Typis VVolfgangi Meisneri.



REVERENDIS, DO-
CTISSIMIS, RARA PIETATE, ERU-
ditione eximia, plurimoque rerum S. usu clarissimis
deque Ecclesia Christi optimè meritis
viris.

D. N. D. ÆGIDIO HVNNIO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI, PROFESSORI ET
Superintendenti VVitebergensi.

D. GEORGIO MYLIO S. S. THEOL. DOCT.
Professori & Superint. in Acad. Jhenensi.

D. AMBROSIO REVDENIO S. S. THEOLO-
giae Doctori & Professore Jhenensi.

Nec non

DOCTISSIMO, CLARISSIMO-
QUE VIRO DN. M. VVOLFFGANGNO HEIDERO
Logices & Ethices Professore in Academia Jhenensi,
alumnorum Coburgensium inspectori di-
gnissimo,

AMPLISSIMO ITIDEM ERUDITIO-
ne multiplici J. V. scientia multarumque rerum experientia
præstantissimo viro M. JOANNI GÖTZ Qua-
stori Saxocoburgensi meritissimo.

*Præceptoribus & Promotoribus suis Summa animi obser-
vantia colendis.*

*Hoc exercitium Theologicum à se conscriptum obser-
vantia testimonium, gratitudinis monumentum & per-
fectus specimen*

Confecrat & offert

M. IOHANNES KEMPEIUS.



299.

DE BONIS OPERI-

B U S.

T H E S I S I.



*V*ti à causa ad effectum conve-
nientissima methodo fit progressus ; Sic
enucleationi & decisioni de justificatio-
ne nostra coram Deo, rectè subijcitur ar-
ticulus de bonis operibus, quæ vera & sal-
vifica fidei effectus sunt : De eo autem
quatuor potissimum questionum discu-
tiendarum & examinandarum, ansam præbuit Concilium
Tridentinum, quarum prima est, de bonorum operum causis
& necessitate, altera naturam & substantiã bonorum operum
investigabit : tertia de bonorum operum in hac quidem vi-
ta imperfectiõne differet : quarta demum de præmiis & me-
ritis bonorum operum aget.

II.

*E*t si autem de prima questione, nulla inter nos & Ponti-
ficias est controversia ; attamen eius pertractatione occur-
rendum fuit clamoribus & criminationibus Pontificiorum,
quibus illi jam olim ab exordio lucis Evangelicæ Ecclesias
nostras ita deformarunt, ac si bona opera prohiberent, omneq;
pietatis studium enervarent ac everterent, adeo ut nõ nni-
li a Doctores nostros opericidas publicis scriptis proclama-
re non erubescerent. Ac licet postea publica Ecclesiarum no-
strarum confessio quam Augustanam vocant, extaret, Anno 1530
concilium tamen Tridentinum^c adeo sibi non temperavit ab
ejusmodi calumniis, ut haud obscure Ecclesias nostras insi-
mularet, ac si illa justos ab observatione mandatorum Dei
liberos pronunciarent, omniaq; cætera, sola fide excepta, in-
differentia esse assererent. a Conradus Clingius in locis com-
muni-

Wercel
mörder.

Anno 1530

Anno 1547

A 2

n. uni-

munibus lib. 1. cap. 34. Ioannes Cassparus Rutlandius.
Tit. 1. pag. 27. ^b confessio Auagustina articulo 20. ^c Concilium
Trident. cap. 11. cazone 19.

III.

Hæc tam lata ad calumnias porta in concilio aperta, post-
modum Iesuita, meretricis Babylonica viperea progenies,
audacter calumniando progressi sunt, palam scriptitan-
tes, (a) à Lutheranis de gratuita hominis justificatione & bo-
nis operibus ea doceri, quæ vitæ dissolutionem & securita-
tem inducant, (c) frena libidinibus laxent, omnibusq; scele-
stis hominibus aditum ad omnis generis scelerata patefaci-
ant. & Ioannes Hoffmeisterus in censura confessionis Augusta-
na pag. 128. Fr. Costerus in Enchiridio pag. 17. & cap. 2. pag.
228. ^c Rob. Bellarminus Tomo 3. de justificatione lib. 4. c. 1.
pag. 296. & 299. Item in oratione ultima operis sui.

IV.

Hiscæ autem Concilij Tridentini & reliquorum Pontifi-
ciorum criminationibus & calumniis opponimus publicas Ec-
clesiarum nostrarum confessiones & scripta, inprimis verò
vocem doctrinæ, quæ publicè in Ecclesiis nostris sonat, in qui-
bus omnibus ex immotis sacrarum literarum fundamentis
vera proponuntur causa, quæ Christianos plus ad pietatis &
bonorum operum studium excitant, quàm fictitiis illis meri-
torum vitæ æternæ causis & protextibus in Papatu unquam
fieri potest.

V.

Prima autem ac potissima causa, quæ vitæ sanctitatem
studiumque bonorum operum nobis commendat, est volunta-
ris & mandati divini patefactio & promulgatio. Hæc e-
nim est voluntas Dei, inquit Paulus, sanctificatio vestra ut
abstineatis à fornicatione & sciat unusquisq; vas suum posside-
re in sanctificatione & honore, non in morbo voluptatis sicut
genies quæ non noverunt Deum 1. Tes. 4. v. 3. Probetis quæ
151

sit voluntas Dei placens & perfecta Rom. 12. v. 2. Et Christi-
 stus ipse mandati sui summam in caritate constituit, Iohan. 15.
 12. Hoc est mandatum meum ut diligatis vos invicem & c.
 Et in 1. Ioh. 3. 11. & 4. 21. hoc mandatum habemus à Deo ut
 qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, & c. Summa verò
 mandati proponitur, ver. 34. 15. Declina à malo & fac bo-
 num, 1. Petr. 2. 15. mori peccato, vivere Deo seu justitia, E-
 phes. 4. 22. deponere veterem hominem & induere novum
 Rom. 13. 12. abijcere opera tenebrarum & induere arma
 lucis.

VI.

Deinde non minoris ad pietatem & vitam sanctitatem
 in nobis excitandam, momenti est beneficiorum Dei, ut puta,
 creationis, electionis, vocationis, redemptionis & san-
 ctificationis nostræ consideratio & meditatio. In suis e-
 nim factura sumus creati in Christo Iesu ad bona opera, quæ
 Deus preparavit ut in illis ambulemus Eph. 2. 10. nē igitur
 coram Deo appareamus, nudi, induemus novum hominem,
 qui secundum Deum creatus est Eph. 4. 24. Collos. 3. 10. in-
 duite novum hominem qui renovatur in agnitione Dei, ad
 imaginem eius qui creavit eum.

VII.

Nec in tempore demum hic finis nobis constitutus est, sed
 ante constitutionem mundi, Eph. 1. 4. Elegit nos in Christo
 Iesu antequam jacerentur fundamenta mundi, ut essemus
 sancti & irreprehensibiles coram illo Iohan. 15. 16. Non vos
 me elegistis sed ego vos, & posui vos ut eatis & fructum ef-
 feratis & c. Nec pretij quo redempti sumus amplitudo aliam
 nobis vivendi rationem permittit. Tit. 2. 14. Christus dedit
 semetipsum pro nobis ut mundaret sibi populum peculiarem
 ἵνα ἑαυτοῦ ἁγιασθῶσιν ἰσχυρῶς ἡ ἑσχατῆς ἡμέρας, 2. Cor. 5. 15. pro omnibus mortuus
 est Christus ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro
 ipsis mortuus est. Flagitat id etiam vocationis nostræ sancti-



tas. Non enim vocavit nos Deus ad immunditiam, sed ad
 sanctificationem 1. Tes. 4. v. 7. non ad otium sed ad laborē Mat.
 3. & 7. Tandem sanctificationis nostrae consideratio omnis ter-
 rena conversationis amorem in nobis penitus extinguere de-
 bet, an enim nescitis ait Paulus 1. Cor. 3. 16. quia templum
 Dei estis & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis templū
 Dei profanet, hunc perdet Deus. Nam templum Dei sanctum
 estis vos Item 1. Petr. 2. Vos genus electum, regale sacerdoti-
 um &c. Quod verò consortium justitiae cum injustitia 2. Cor. 6.

VIII.

Frustra igitur timent Pontificij, nē hac beneficiorum di-
 vinorum praedicatione & exaggeratione studium bonorum o-
 perum (si justitiae eis detrahatur) impediatur aut everta-
 tur. Nulla enim doctrina efficacius ad pietatem nos instigat
 quā hac ipsa, quae hunc redemptionis nostrae finem inculcat,
 ut nimirum de manu inimicorum nostrorum liberati servia-
 mus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, &c. Et Christus
 ipse ex remissione amplioris debiti, majoris delectationis argu-
 mentum capit Luc. 7. 47. & Paulus Apostolus tantum habesse
 dicitur, ut hac doctrina morum perversitati fenestram ape-
 riat, ut nulla potius, ad pietatis studium in nobis excitandum
 ratio & via sit Rom. 3. 8. Rom. 6. 15.

IX.

Tandem ipsorum etiam scholasticorum testimonio (quod
 Pontificiis sanē maximum est) hac doctrina pietatem auget
 potius quā extinguit. Exhibita enim tanta erga nos dile-
 ctionis arrha ut ait Lombardus lib. 3. dist. 19. & nos move-
 mur ad diligendum Deum, qui pro nobis tāta fecit, & Thomas
 parte 3. quest. 46. ait. Quando homo recognoscit quantum
 Deus hominem diligit, per hoc provocatur ad eum diligen-
 dum; quibus etiam suffragatur Bonaventura lib. 3. dist. 20.
 Deus nos plus adstringit ad amorem & laudem suā per hoc,
 quod dedit vinctum suum pro nobis, quā si absq; hoc con-
 donasset nobis culpam & poenam.

Proin-

X.

Proinde tercio loco, officij quoque debiti recordatio & fœderis nostri cum Deo in Baptismo sanciti observatio vita sanctioris instituenda necessitatem nobis imponit. Non enim nostri juris sumus 1. Cor. 6. debitores enim sumus non ut secundum carnem vivamus Rom. 8. 10. & 13. 8. nemini quicquam debeatis nisi ut invicem diligatis Luc. 17. v. 10. quæ debuimus, fecimus 1. Ioh. 4. & nos debemus nos mutuo diligere.

XI.

Quarta causa quæ ad pietatis stadium nos excitare debet, est fidei nostræ per caritatem & bona opera testificatio Mat. 7. v. 17. omnis arbor bona fructus bonos facit Item: non potest arbor bona malos fructus facere 1. Ioh. 4. 20. Qui dicit se nosse Deum & mandata ejus non facit, mendax est, 1. Tim. 5. 8. qui suorum curam non habet, fidem abnegavit. Cum enim fides quatenus in nuda mentis notitia auquiescit, mortua sit Jacob. 2. 17. per caritatem autem demum sese nobis exerat, & per bona opera non secius ac anima motu sese vobis offerat Gal. 5. v. 6. Ideo ambulando in viis Dei & faciendo opera caritatis nos viva Ecclesie membra esse declaremus juxta illud 1. Iohan. 3. In hoc enim manifesti sunt filij Dei & filij Diaboli. &c.

XII.

Quinto Pœnarum temporalium & æternarum gravissima comminatio, à vita perversitate & delictorum perpetratione deterrere & ad justitiam viam revocare debet. Dominus enim ultor de his omnibus. 1. Tes. 4. 6. Col. 3. 6. propter hæc venit ira Dei super filios inobedientes Ps 89. 32. Si mandata mea non custodierint, visitabo iniquitates eorum Rom. 3. v. 13. Si secundum carnem vixeritis, mortemini 1. Tim. 1. 19. repelentes bonam conscientiam naufragium fecerunt circa fidem 2. Petr. 1. 9. Galat. 5. 21. qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. Qui igitur ad pristinam vitam impietatem

sanquã sus ad volutabrum cœni redit, is posteriora peiora reddidit prioribus Matth. 12. 45. meliusq; ei fuisset quod viam veritatis nunquam agnovisset. 2. Petri 2. ver. 21.

XIII.

Sexto proximi quoque emendatio magnum nobis ad vitæ sanctimoniam calcar addere debet Mandavit n. Deus unicuiq; de proximo suo, ut bono exemplo lapsum erigamus, stantem confirmemus, sicut Christus ad Petrum ait Luc. 22. tu aliquando conversus confirma fratres tuos, & Mat. 5. 16. luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrũ, qui in cœlis est, 1. Pet. 2. 12. conversationem habete honestam inter gentes, ut in hoc quod obtrectant vobis ut maleficis ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis Rom. 12. 15. Ebr. 10. 24.

XIV.

Tandem amplissima bonorum operum & remuneratio magnũ nobis ad pietatis studiũ incitamentum esse debet. Pietas n. habet promissionem huius & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. nec est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius Eph. 6. 10. Imo Deus sese mercedis loco offert Abrahamo Genes. 14. Ego ero merces tua magna nimis Item Rom. 2. 7. Mat. 11. & 24. 1. Tim. 6. 19.

XV.

Harum causarum complexus pro ratione objectorum ad hæc potissimum capita reduci potest, ut primò Deum ipsum, ad cuius obsequiũ & gloriam omnes actiones nostras dirigere debemus, respiciam; deinde ut propter nosmet ipsos, & proximum vitæ sanctitati studendum esse statuamus.

XVI.

Hæc autem immota sacrarum literarum fundamenta & incitamenta non tantum securis & fanaticis hominibus, qui vel misericordie divine & gratuita remissionis peccato-

runt

rum persuasione, omnium scelerum licentiam sibi pollicentur, vel pretextu libertatis Christiana, legis divina observationem rem arbitrariam & indifferentem arbitramur, opponimus; verum etiam ipsis pontificiis, qui Ecclesias nostras, uti in hoc ita in multis aliis articulis tot calumniis onerare, ne in hunc quidem diem cessant: ostendentes nim: eo ipso coram toto mundo nec pietatem, nec eandem illis cura cordiq; esse, neq; Spiritu Christi, qui est Spiritus veritatis, sed Spiritu vertiginis, qui pater est mendacij, illos agitari, id quod de Thaide Babylonica Ioannes Apostolus jamdudum prädixit Apocal. 18.3.

XVII.

Docemus enim bona opera esse necessaria, non quidem necessitate salutis promerenda, sed mandati, debiti &c. Et, si attendere velimus, non quid ex professo diceatur, sed quid ex consequentiis deduci possit, telum in adversarios retorquemus; ea nimirum ab adversariis falsa doctrina Zuznia spargi, quibus omnis pietatis ratio evertatur veraq; factimonie semen suffocetur. Fiducia enim bonorum operum & meritorum propriorum, pro qua tantoperè pugnant adversary, tollit & evertit fundamentum pietatis, fidem nimirum & humilitatem: hac enim omnia à se ad Deum transfert & desperans de propria justitia filiali fiducia Deo adheret; Illa vero propriis viribus innititur, Dei dona sibi tribuit & vendicat.

CAPVT II. QVÆ SINT VERÈ bona opera.

XVIII.

Ad alteram proinde questionem, quæ nam sint illa verè bona opera, quorum necessitatem hætenus evicimus, accessum faciemus: de hac autem questione concilij Tridentini senten-

B

112

via est justificatos teneri ad observationem mandatorum Dei & Ecclesie Sef. 6. Can. 20. Sef. 7. Can. 8. eaq; Ecclesie mandata (etsi nullo expresso dicto scriptura probari nec manifesta consequentia inde deduci possint) pari pietatis affectu & reverentia suscipi & venerari debere cōtendunt, ac quod plus est justitia per Christi gratiam accepta, augenda & confirmanda vim, viteq; aeterna meritum illis ascribunt, Sef. 6. cap. 10. Sef. 7. cap. 10.

XIX.

Hic verò densissimam tradinonum & cultuum humanorum sylvam, qua via salutis in regno pontificio circum septa erat, ingredimur. Tanta enim superstitionum fictiorumq; cultuum multitudo, tantaque morum perversitas superioribus seculis in Ecclesiam sub Ecclesiastica potestatis titulo irrepserat, ut multi sancti Patres, Augustinus, Bernhardus, & alij quorum nomina in Catalogo testium veritatis exprimuntur, statum Ecclesie afflictissimum deplorarent, morumq; emendationem serio expeterent. Et patres cōcily Tridentini Ecclesiasticam disciplinam collapsam esse, moresq; Clericorum depravatos non negant, proinde Sef. 3. & 18. morum reformationem ob quam Concilium convocatum sit, promittunt. Quibus verò modis ac mediis id exequi ipsis constitutum sit, qua norma & regula in hac morū Ecclesiasticorum reformatione usi sint, Canone hoc 20. exprimitur, in quo justificatos ad observationem mandatorum Dei & Ecclesie remittunt.

XX.

Ac sanè si mandatorum Ecclesie nomine intelligerent, eiusmodi dogmata, ceremonias, aut ritus, qua licet totidem literis ac syllabis in scripturis S. non exprimuntur, ex iisdem tamen per firmam & evidentem consequentiam deduci possunt.

possunt, nullam hoc loco litem illis moveremus. Verum ipsa decreta reformationis & Andradius Concilij interpres fraudem ac dolum, quem mandatorum Ecclesie titulo occultant, nobis aperiunt.

XXI.

Decretum enim reformationis Sessione 6. Cap. 1. asserit, se piis summorum pontificum & probatorum conciliorum constitutionibus inhaerere Item Sessione 25. cap. 18. & 20. Quapropter sciant universi sacratissimos canones omnes (ad dignitatis Episcopalis decorem & gravitatem pertinentes exacte ab omnibus & quoad eius fieri potest indistincte observandos. Et in formula juramenti omnes qui ad sacros ordines promoventur jurant se Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesie observationes & constitutiones firmissime admittere & amplecti. Et sicut in principio patres concilij autoritatem summi Pontificis semper excipiunt Ses. 7. Ita in fine etiam Sessione 25. cap. 21. addunt, se omnia & singula quae de morum reformatione atque Ecclesiastica disciplina statuta sunt, declarare ita decreta fuisse ut in his salva semper autoritas sedis Apostolica & sui & esse intelligatur.

XXII.

Hanc vero autoritatem sedis Romanae quam patres in omnibus salvam esse voluerunt, Andradius sic explicat; esse potestatem plenam & perfectam, regendi universam Ecclesiam, quae ab ipso Christo Romano pontifici sit attributa, eiusque sanctiones proinde eiusdem esse autoritatis cum divinis legibus & mandatis, eodemque observantia cultu suscipiendas, scelus in earum transgressione quandoque atrocius committi quam si divinas leges perfregissent.

Bz

Hoc

XXIII.

Hoc verè est os in cælo ponere Psal. 63. 9. & contra Deum Deorum loqui grãdia Daniel. 7. 20. hoc est sedere in templo Dei & regnare ut Deus & Tessal. 2. 4. Quæ enim potest maior esse temeritas, quamnam atrocior in Deum injuria vel fingi vel cogitari potest? quam Dei (qui æqualem nec in cælo nec in terra agnoscit) non dicam similitudinem sed equalitatem vendicare? quam leges suas, constitutiones, statuta & decreta sua, in eundem dignitatis & autoritatis gradum ponere & collocare, Deiq; præceptis & legibus non æquare solum sed & præferre humanas traditiones.

XXIV.

Hac verò licet absurdè impia & manifestè blasphema sint, attamen, adeo frons meretricia facta est pontificis ut nihil tam auditu horrendum, nihil tam à pietate & honestate absolum sit, cujus atrocitatem Romanenses hodiè non suscipiant. Sic enim disputat Bellarminus Tom. 3. de justif. lib. 2. cap. 3. Romanum Pontificem posse autoritate sua etiam sine plebis consensu vel presbyterorum leges ferre, quæ in conscientia obligent, Item Tom. 1. parte 3. p. 557. posse rem indifferentem facere necessariam. Tom. 1. q. 1. p. 278. Quasdam ejusdem traditiones esse majores quo ad obligationem quibusdam scripturis, quasdam minores, quasdam æquales.

XXV.

O verò detestandam impietatem & execrandam blasphemiam. Siccine o fili perditionis pascis imo perdis Ecclesiam? Siccine innumerabiles populos, catervatim seducendo, te redarguere mortalium nullus debet, imo vero cum Chemnitio nostro te sic alloquimur. Agedum purpurata bestia, homo peccati & fili perditionis imple mensuram eius quod scriptum est, 2. Tes. 2. ut ex coloribus p̄j te cognoscere possint. Extolle te super omne quod dicitur Deus atq; colitur: colloca te in templo Dei tanquam Deum, ostenta & renuncia te ipsum quod sis
Deus

Deus. Quia quod res est aperte dic Esa. 14. In caelum conscendam, juxta astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Faxit autem Deus ut propediem sequatur alter ille versiculus, veruntamen ad infernum detraheris in profundum lacus, Amen, Amen.

XXVI.

Pelagium profecto impietate sua multum superant pontificij; Ille enim in observatione legis divina justificationem collocans damnatus est: Hi vero meritum vitae aeternae in observatione mandatorum & traditionum humanarum constituentes, impunitatem sibi & bene administratae Reipublicae Christianae laudem sibi pollicentur.

XXVII.

Nos vero sacris instructi oraculis gladioque Spiritus S. armati lucum illum traditionum humanarum & cultuum electivorum pontificij succidimus. Normam autem bonorum operum constituimus verbum Dei, in qua Deus tam affirmativè quam negativè sententiam & voluntatem suam patefecit, proinde juxta praescriptum verbi divini ea in bonorum operum censum veniunt, quae in verbo ipsius nobis praecepta & injuncta sunt, Deut. 4. 2. 12. 32. Non faciat unusquisque in oculis suis quod rectum videtur, sed quod ego praecipio tibi hoc tantum facias, nec addas quicquam nec minuas. Numeri 15. 39. non sequantur cogitationes suas sed memores praeceptorum Domini faciat ea, Ezech. 20. ver. 19. In praeceptis meis ambulate, in praeceptis patrum vestrorum nolite incedere.

XXIII.

Sicut enim in iis quae ad fidem pertinent & ad salutem nobis credenda sunt ab omni additione, immutatione aut diminutione prorsus abstinendum est: Sic in iis quae ad cultum & mores formandos spectant, à praescripto Dei verbo nè tantil-

Iam, quidem recedendum esse precipitur Deuter. 5. 32. Fecite quae precipit Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram, sed per viam quam Dominus Deus vester precipit, ambulabitis.

XXIX.

Per dexterum autem & sinistrum excessus & defectus notantur, qui circa legem Domini saepius committuntur, & ad dexteram declinare dicitur is, qui praeter Dei verbum sub religionis specie novas leges aut novum cultum committitur, ad sinistram autem deflectit, qui contemptu aut praevagatione legem Domini transgreditur. Inanis proinde & frivola est Iesuitarum exceptio: praeceptum Moysis intelligi debere de additione corrumpente, non autem perficiente. Non enim à via Domini discedere dicitur is tantum qui in sinistram praevariando declinat, verum etiam qui ad dextram religionis aut perfectionis praetextu reflectitur. Additio autem perficiens tum demum concedenda esset, si lex divina imperfecta esset: Iam verò Spiritus sanctus de verbo suo testatur Psal. 19. ver. 7. quod lex Domini sit תמימה perfecta, ut supplemento traditionum humanarum haud opus sit.

XXX.

Nec populus tantum (ut iterum Bellarminus ogganit) sed sacerdotes quoque & principes ad hanc legem astringuntur Deut. 17. Iosae. 1. Esaias 8. Ob id Deus in lege sua hanc precipiendi auctoritatem sibi soli vindicat, & obedientiae nostrae erga ipsum rationem hanc unicam subijcit: quia sit Dominus Deus noster: Quemadmodum enim ipse solus potestatem habet conferendi gratiam & rursus auferendi & solus etiam habet claves vitae & mortis, qui aperit & nemo claudit, &c: Sic etiam ipse solus praecepta sub
aeterna

æternæ mortis comminatione dare & proponere potest, unde Iohan. Gerson de vita spirituali lect. 1. ait omnis obligatio cassa est & nullius momenti ac roboris, si non à Deo Imperatore supremo suas habuerit vires.

XXXI.

Patet hinc vel unicè Romanensium absurditas simul & impietas in Deum: Hac quidem, quod pontifici suo tantam auctoritatem attribuant, quod leges suas, quarum sæpe nullum in sacris literis extat vestigium, sub æternæ mortis comminatione ferre & promulgare possit: Illa verò ex eo patescit, quòd conscientias, de quibus tamen in foro suo cognoscere non possunt, iudicandas sibi sumunt, & pœnas ejusmodi legibus suis annectunt, quas infligere nequeunt.

XXXII.

Nec ulla pietatis species, aut bonæ intentionis prætextus illos ab impietatis culpa liberare poterit. Gravissimè enim Dominus in ejusmodi novorum cultuum autores invenitur Esaie 1. 12. Quis quæ sivit hæc de manibus vestris, & CHRISTVS Matth. 15. frustra se coli ait mandatis quæ ab hominibus docentur, & D. Paulus ἐθελοδουλοῦντες, damnat electitios ejusmodi cultus Collos. 1.

XXXIII.

Et quid attinet novos cultus comminisci & traditiones fingere, cum quæ sit Dei voluntas placita & perfectæ, in verbo eius edoceamur. Paulus enim doctrinam de bonis operibus ex Decalogo refert, & scriptura ipsa ubiq; caritatem tanquã ducem & summam bonorum operum nobis inculcat. Hac autem sive ad Deum sive ad proximum sese extendere velit, legem Dei sibi præfixam habet.

Stat

XXXIV.

Stat igitur immotum verbum Dei scriptum, uti doctrinā
rū, ita & cultuum normam & regulam esse, omnibus numeris
perfectam & absolutam, continentem omnia, quae ad cultum
vel ad mores pertinent. Non leviter proinde in Deum inju-
rii sunt pontificij qui hanc regulam honorum operum imper-
fectionis arguunt.

XXXV.

Non autem abs re est, quod pontificij ad normam legis di-
vine se adstringi minime patiuntur. Est n. lex Domini stater-
tera justitia ad quā appensa opera nostra nimis levia essent:
est lucerna pedibus nostris ad quam attendentes juxta Petri
admonitionem, summam operum nostrorum imperfectionem
cerneremus, hac autem luce remota facilius perfectionem
& plus quam debite obedientiae opinionem invehere & ob-
trudere n. bis possent.

CAPVT III. DE BONORVM O- perum in hac vita imperfectione.

XXXVI.

Asserta nunc doctrina de vero Dei cultu, operibusq; Deo
placentibus, considerabimus deinceps opera renatorum, qua-
lia illa sint si secundum legem & mandatum Dei illa fiant.
Res autem expedita esset, si ex lege divina quaestio decidenda
peteretur. Verū ut in tenebris ambulantes facile impingunt;
Sic pontificij seposito verbo Dei & rationis judicio adhibito,
eo pervenerunt, ut mandatorum Dei impletionem facilem
esse sibi persuaderent. Statuit enim ratio nostra legem hanc
habere conditionem ut sit possibilis iis quibus imponitur.

XXXVII.

Accessit postea Pharisaica superbia, ut contenderent per-
fectam legis impletionē adeo possibilem esse ut renati in hac
vita sua obedientia, non tantum eam assequantur, sed etiam
prater

præter illam multa opera indebita supererogent. Ex hac autem doctrina articulus de gratuita hominis justificatione corrumpitur, meritum Christi obscuratur, vera animi humilitas enervatur, & è contrario Pharisæica superbiæ ostium aperitur.

XXXVIII.

More autem suo Pontificij controversiæ statum malitiosè pervertunt, ut sic veritatem doctrinæ, quam apertè impugnare non audent, subdolè opprimant. Proinde extra controversiam ponimus, quæ jam olim à Scholasticis disputata sunt, utrum renati naturalibus liberi arbitri viribus, legem Dei perfectè implere possunt? nec de eo litem movemus adversarius, an in renatis præter justitiam Christi imputatam, justitia bonæ conscientie, seu ut Iesuita loquitur, actualis justitia existere debeat? Docemus enim & confitemur, in homine renato fieri immutationem, inchoari novam obedientiã, existere justitiam bonæ cõscientie, quæ declaratur per externa opera, quæ sunt fructus fidei placentes Deo per & propter Christum

Bellarminus Tom. 3
de justific.
lib. 4. c. 10.

XXXIX.

Cardo autem quæstionis est de renatorum bonis operibus, qualia illa sint, an ita simpliciter & absolutè justa & suo modo etiam perfectæ, ut legi Dei per auxilium gratiæ & spiritum caritatis in ipsa justificatione nobis infusum satisfacere possint, eo modo quo Deus legem suam à nobis impleri vult? totidem enim verbis ipse Bellarminus controversiæ statum format lib. 4. de justificat. c. 10.

XL.

Pontificiis affirmantibus, nos negativam ex immotis sacrarum literarum fundamentis probamus. Est n. novitas seu sanctitas quæ per Sp. sanctum in renatis inchoatur in hac quidem vita minimè perfectæ, consummata, pura & sincera, sed propter veterem hominem & legem peccati, quæ in carne & membris renatorum adhuc remanet, Rom. 7. 23. est imperfecta, immunda & contaminata, quæ legi Dei minimè satisfacit

C

Esa. 64.

Esa. 64. 6. omnes justitia nostra, tanquã pannus menstruatae mulieris Ps. 19. 13. delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Ps. 32. 6. pro hac orabit omnis sanctus Ps. 130. 2. si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit Ps. 143. 2. non intres in iudicium cum servo tuo, Rom. 7. lex spiritualis, nos carnales sumus 1. Cor. 4. 4. nihil mihi conscius sum sed in hoc non sum justificatus 1. Ioh. 1. 8. Si dicimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus & veritas non est in nobis.

XLI.

Deinde probatur id ipsum à fine legis, qui est caritas. In tantum n. à perfectione absunt renati, quantum absunt à fine legis, caritate scilicet eiusq; perfecta impletione. At præceptum de dilectione Dei, nõ potest à renatis in hac vita perfectè impleri, siquidem postulat à nobis non tantum exteriorem sed etiam interiorem caritatem, eamq; nõ dimidiam aut partialem sed integram & totalem, ut ex toto corde, tota anima, tota mente & omnibus viribus ea procedat. Requirit enim ipsum cor, animam, mentem & omnes vires, easq; non ex parte tantum sed ex toto divina voluntati conformes esse jubet, omni loco omniq; tempore.

XLII.

Iam dent nobis hominem, qui corde, mente, anima omnibusque viribus à Baptismi momento ita Deo adhaerit, ut nullo unquã tempore contrarium morum aut actũ admiserit, & concedemus vicissim eis perfectionem eam pro qua ipsi tantoperè pugnant. Deus profecto de cælo prospiciens talem se reperisse hominem negat Ps. 14.

XLIII.

*Tom. 2. de
Statu pec-
cati lib. 5.
cap. 10.*

Excipit autem Iesuita obligationem præcepti propriè in mediis, quæ imperantur consistere non in fine: & prævaricatorem esse, qui media negligit, non qui finem non adsequitur. Finem autem præcepti, cum vires humanas excedat in præcepto indicari posse, imperari propriè non posse: Verum in lege sua.

ge sua Deus, finem potissimum spectat & media propter finem: Maledictus enim pronuntiatur, non tantum qui media negligit, hoc est motus illicitos non reprimat, sed etiam qui non permanet in omnibus quae scripta sunt in lege. Scriptum autem est inter cetera praeceptum de non concupiscendo, quod ipse Iesuita ad finem praecepti refert; qui omnem motum contrarium in carne excludit: ex quo sequitur non media tantum sed ipsum etiam finem sub praecepto esse.

XLIV.

Tandem decretis concilij Tridentini opponimus decretum Apostolorum in concilio Hierosolomitano Act. 15. ubi lex divina dicitur jugum importabile, quod nec ipsi nec patres ipsorum portare potuerint: Id verò Apostoli de se & patribus suis asserere minime possent, si media tantum, non autem finis sub praecepto essent. Apostolus enim Paulus nihil sibi conscius, in eo se justificatum esse pernegat.

XLV.

Denique pugnat Pontificiorum opinio de perfectione bonorum operum, cum dogmate de incertitudine justificationis & salutis, quam ipsimet pontificij docent. Si enim perfecta sint opera nostra & perfectè adimplemus legem Dei, quid obstat quo minus de salute nostra simus certi, siquidem conditio legi annexa jam sit à nobis adimpleta &c.

CAPVT IIII. DE MERITIS bonorum operum.

XLVI.

Superiorum capitum plenior tractatio minuit difficultatem huius questionis ultimae, quae est de bonis operibus. Idem enim verbum quod pro infallibili norma & regula bonorum operum agnoscimus, tum obedientiae & iustitiae inchoatae imperfectionem arguit, tum etiam remunerationem aliquam pollicetur, quo fit ut in remuneratione bonorum

C 2

operum



operum & misericordia & veritati divina locus sit; misericordia quidem in condonatione offensarum, veritati autem in exhibitione promissorum premiorum, quae qualia quanta sint, jam dispiciemus.

XLVI.

Sunt autem duplicia bona, quae sub meritum cadunt, infinita quae reconciliationem nostram cum Deo & salutem aeternam concernunt, ut sunt remissio peccatorum, justitia & vita aeterna: finita quae vel in hujus vitae commoditate vel in futura vita eminentiori gradu consistunt. Et his premiis Deus opera piorum in hac & futura vita remuneratur non quidem ex debito sed ex paterna liberalitate & gratuita promissione divina. Et hoc modo meriti vocabulum libenter accipimus, nec cuiquam eo nomine litem movemus.

XLVII.

Est autem nobis cum Pontificiis controversia de prioris generis bonis potissimum, de infinitis nimirum & essentialibus utrum nimirum bona opera justorum sint verè & propriè merita & merita quidem non cuiuscumque praemij sed ipsius vitae aeternae quo ad primum eius gradum ex condigno, non solum ratione pacti sed etiam ratione operis simul, ita ut in opere bono ex gratia procedente sit quaedam proportio & aequalitas ad praemium vitae aeternae.

XLIX.

Pontificiis affirmantibus opponimus, Paulinam & videlicet quae gratiam & opera, gratiam & mercedem, stipendium & donum Dei in actu justificationis & salutis ita inter se opponit, ac si alterutri horum attribuat salus, alteri statim adimat Rom. 4. v. 4. Rom. 11. ver. 6. Eph. 2. Rom. 6. ita ut secundum Paulum in salutis aeternae negotio non possint simul consistere gratia & debitum seu meritum.

L.

Deinde probamus nostram sententiam ex indefinita remuneratione

motione operum & meritorum nostrorum à negotio salutis. Scriptura enim vitam aeternam etiam renatorum operibus adimit & tribuit misericordia Dei propter Christi meritum Rom. 4. Ps. 32. David pronunciat beatitudinem esse eius hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus Ps. 32. Item si ex lege hereditas, exinanita est fides: Gratia salvati estis non operibus Eph. 2. Non ex operibus justitia, quae nos fecimus sed secundum misericordiam suam salvos fecit: Tit. 3. non secundum opera nostra sed secundum propositum suum & gratiam quae data est nobis in Christo Iesu 2. Tim. 1. Mar. 20. 1. Tim. 2.

L I.

Tertio pugnat eadem doctrina cum officio Christi, à quo non tantum remissio peccatorum, verum etiam vita aeterna & salus nobis acquisita est, ideo n. à patre missus est, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat sed habeat vitam aeternam. Ioh. 6. vivet propter me Ioh. 11. & 14. Ego sum vita Ioh. 17. haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum esse Christum, Ioh. 20. ut credentes habeatis vitam in nomine ipsius, 1. Ioh. 1. Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus in quo oportet nos salvari.

L I I.

Meritum autem Christi, quo caeli nobis aditum paravit, est omnium perfectissimum ut nullo meritorum humanorum supplemento egeat, adeoque infinitum est & ob id in solidum salutis & vitae titulus competit. Proinde cum insigni injuria & contumelia Christi conjunctum, operibus renatorum, ex meritis Christi tantam dignitatem & divinitatem attribueret, quae non exiguum hujus mundi sed immensum & aeternum futurae vitae stipendium promereri possimus, sic n. merita nostra, si non ex se ex gratia saltem essent infinita, id si impium & blasphemum in Christi meritum videtur, eam operum arrogantiam cavere debemus, quae operibus nostris infinitam quandam dignitatem imo divinitatem arrogat.

LIII.

Quartò probatur id ipsum ex attributis vite aeternae. Dicitur enim vita aeterna hereditas, quae non meritis nostris sed ante omnia opera & merita nostra, adoptionis jure debetur, idque patet in infantibus statim post Baptismum decedentibus, quibus vita aeterna donatur ex Christi merito sine ullo meritorum propriorum interventu, nec dispar salutis ratio infantium & adultorum, sed unica salutis via per Christum Iesum Dominum N. Act. 14.

LIV.

V. Cum omne meritum innitatur justitiae & relationem ad mercedem habeat, necessum est ut sit dignitas ἀναλογία & proportio quadam operis ad mercedem. Iam verò opera nostra etiam in fide facta, nullam habent proportionem ad salutem seu vitam aeternam. Opera enim nostra etiam renatorum quae ex gratia sunt, finita sunt & temporalia: beatitudo est infinita & aeterna: Bona opera renatorum imperfecta & immunda & iam antea debita: vita aeterna perfectissima & purissima, ut sic nulla inter eam & opera nostra proportio constitui possit.

LV.

Deniquè sanctorum quoque patrum suffragio nostra confirmatur sententia. Augustinus de gratia & lib. arb. Non meritis nostris ait Deus nos ad vitam aeternam sed pro sua miseratione nos perducit. Bernhardus: Necessè est primò credere quòd remissionè peccatorum habere non possis, nisi per indulgentià Dei, deindè quòd nihil prorsus habere queas operis boni nisi hoc dederit ipse, postremò quòd vitam aeternam nullis potes operibus promereri nisi gratis detur & ipsa.

LVI.

Ceterum de premiis bonorum operum accidentalibus quoque controversia nonnulla est. Bona enim opera renatorum
 spiritali-

spiritualibus & corporalibus premiis sed accidentariis remunerari non negamus, sed in eo disidemus à potificijs, quòd illi hoc ex justitia, nos ex misericordia & paterna clementia fieri dicimus. Hinc disputat Bellarminus lib. 5. c. 16. opera justorum ex caritate facta meritoria esse vita aeterna ex justitia ex condigno, non solum ratione pacti sed etiam ratione operis simul, &c.

LVII.

Ac sane modestiores pontificij abhorruerunt à superbo illo condigni titulo, & ab illo penitus abstinendum esse censerunt: Alij non nisi largo modo condigni meritum concesserunt, ita ut hoc condignum respectu condigni proprie sic dicti possit dici congruum. Sed Bellarminus hoc cap. 17. eos refutat, asserens, merita nostra esse ex gratia Dei, sicut etiam verè dicuntur esse munera Dei, tamen non minus rectè etiam dicuntur esse ex justitia & ex condigno.

Paulus Burgensis.
2. Durand.
2. Sent.
Dist. 27.

LVIII.

Contra hunc errorem eadem argumenta in priori questione prolata militant. Opera n. renatorum jam antea sunt debita, ut merita proprie sic dicta appellari nequeant. Est n. Deus dominus noster, nos vero ejus servi sumus, ut hac ratione nulla inter Deum & nos justitia esse possit: nec Deus obligatur ex debito ad reddendum premium pro eo ad quod antea astricti sumus tot nominibus; id quod Dominus significare voluit Luc. 17. Cum feceritis haec omnia dicite servi inutiles sumus.

LIX.

Deinde opera nostra etiam imperfecta sunt & immunda, adeo ut premiis futuris nullo modo respondeant, imò potius adhibita severitate justitia divina paenam potius quam premium merentur. Non igitur ex justitia seu ex condigno sed ex gratia & dignatione bonitatis paterna propter Christum proficif-



proficiscitur quicquid illis premiorum in futura vita retri-
buitur.

L X.

Nam ubi meritum proprie sic dictum locum habet, ibi
proportionem & equalitatem esse convenit inter opus & mer-
cedem. At Paulus Rom. 8. 18. negat passiones presentis se-
culi dignas esse futura illa gloria, quae erga nos revelabitur,
ubi Paulus praestantissimis etiam operibus, passionibus nimi-
rum pro Christo perlatis eam dignitatem promerendi vitam
aeternam ex condigno plane derogat, ut sic gratia maneat
gratia, omnisq; gloriandi materia nobis adimat, in solidūq;
Deo, initium, medium & finis salutis nostrae ascribatur,

cui sit laus & honor in secula seculo-
rum, Amen.

SOLI DEO GLORIA



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







297



ANNO XVII
 S OPERIBVS
XAMINE
TRIDENTINI
 CHEMNITII, QVA
 is comprehensa.

ienda bona opera.
 ona opera.
 renatorum in hac vita sint per-
 meritis bonorum operū. (secta.
 te Spiritu Sancto
 præsidio

IS GESNERI
 DOCTORIS ET PRO-
 emia VVitebergensi.
 num Theologicarum priva-
 proponit die 30. Iunij
 1602.

ES KEMPIUS
 rgenfis Fr,
E B E R G A E
 Gangi Meisneri.

